



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

In Septuagesima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

In Purificatione B. Mariæ, Serm. III. 149

Istud enim tempore Nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis : de utroque tamen potes accipere quod Propheta prædixit ^c : *Oblatus est quia ipse voluit.* Nam & modò oblatuſ est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit : & in cruce nihilominus oblatuſ est, non quia meruit, non quia Judæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine : quia voluntariè oblatuſ es pro mea salute, non pro tua necessitate.

Sed quid, Fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam preciosiorem quam habuit, nimirum, qua preciosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es qui teipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo Domine, corpus & animam dico : utinam hæc tibi perfectè possim in sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longèque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quàm deserar mihi ipsi. Nam ad me ipsum anima mea conturbatur, in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Fratres morituro Domino Judæus mortuas hostias offerebat, sed jam nunc, *Vivo ego,* dicit Dominus, *nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat* ^f. *f* Ezech. 18.g
Non vult Dominus mortem meam, & non libenter offeram illi vitam meam? Hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva. Sed in oblatione illa Domini tres fuisse leguntur, & in oblatione nostra tria nihilominus à Domino requiruntur. Fuit in oblatione illa Joseph sponsus Matris Domini, cuius filius putabatur : fuit & ipsa virgo Mater, & puer Jesus qui offerebatur. Sit ergo & in oblatione nostra constantia virilis, sit continentia carnis, sit conscientia humilis. Sit, inquam, in proposito perseverandi animus virilis, sit in continentia castitas virginialis, sit in conscientia simplicitas, & humilitas puerilis, Amen.

IN SEPTUAGESIMA,
S E R M O I.

Magna mihi consolatio est, fratres mei, in verbo illo Domini ^a, *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Propterea enim vos libenter auditis, quia ex Deo estis. Nec ignoro quod alio in loco dicit Scriptura ^b : *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia* : sed multo aliter sunt ex eo, qui secundum beati Joannis Evangelium, *non ex voluntate carnis nati sunt, sed ex Deo* ^c. Unde & invenies ab eodem Joanne in epistola sua scriptum ^d : *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio cælestis conservat illum.* ^c Ioan. 1.b
^d 1. Ioan. 5. d*

T 2

Non

Non peccat, inquit, id est, non permanet in peccato: quia conservat illum, utique ut perire non possit, ea quæ falli non potest generatio cœlestis. Sive non peccat, id est, tantum est ac si non peccet, pro eo scilicet quod non imputatur ei peccatum, generatio enim cœlestis etiam in hac parte conservat illum. Sed generationem istam quis enarrabit? Quis potest dicere, Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam dicere potest? reclamante nimirum Scriptura ^e; *Nescit homo si sit dignus amore, an odio.* Certitudinem utique non habemus: sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam & indicia manifesta salutis ut indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint. Propter hoc, inquam, quos præcivit Deus, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut quibus certitudinem negat causâ sollicitudinis, vel fiduciam præstet gratiâ consolationis. Hoc enim est unde semper solliciti & in timore & tremore humiliemur necesse est sub potenti manu Dei, quoniam quales sumus, nosse possumus, vel ex parte: quales autem futuri sumus, id nosse penitus nobis impossibile est. Itaque qui stat, videat ne cadat: & in ea forma quæ salutis indicium est, & argumentum prædestinationis, perseveret atque proficiat.

^e Eccl. 9. a
Nemo de salute sua certitudinem habet, sed fiduciam.

Signa prædestinationis
spem nostram confirmantis.

Præcipuum est debite audire verbum Dei.

NOT. A
Quomodo audiendum verbum DEI.

* al. gratias.
Pro dispositione auditorum afficitur lingua prædicatorum.

f Lucæ 10. f

Porro inter ea quæ fiduciam præstant & materiam spei, unum illud maximum est de quo nunc cœpimus loqui: *Qui de Deo est, verba Dei audit.* Nonnullos enim sic interdum audientes invenies, ac si nihil omnino ad eos pertineant quæ dicuntur: non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare ne forte quod audiunt, dictum sit propter eos. Magis autem si forte sermo Dei vivus & efficax (qui suo, & non eius qui loquitur, arbitrio fertur, quocumque voluerit) si inquam, manifestè adversus vitia illa processerit, quibus sese illi sentiunt obligatos, dissimulant, & avertunt oculos cordis: aut qualibet adinventione palliant vitia, & seducunt miseri semetipsos. In his ergo salutis signa non video, magis autem vereor ne forte propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo. In vobis, Fratres (gratia*Deo) verè invenio aures audiendi: nimirum cum in emendatione vestra sine mora appareat fructus verbi, sed etiam inter loquendum (fateor) nonnunquam sentire mihi videor fervorem studii vestri. Etenim quanto abundantius fugitis, tantò amplius replet ubera mea dignatio Spiritus sancti, & tanto copiosius datur quod propinam vobis, quantò citius quod propinatur hausistis. Propterea sapius loquor vobis etiam præter consuetudinem Ordinis nostri: scio enim quis dixerit ^f: *Si quid supererogaveris, cum rediero, reddam tibi.*

Initium

Initium Septuagesimæ, Fratres, hodie celebratur, cuius nomen in universa Ecclesia celebre satis habetur. Jam verò dico vobis charissimi, quia plurimum in hoc nomine compatior mihi ipsi. Commovetur enim intra me spiritus meus, spirans nimirum ad patriam, in qua nec numerus est, nec mensura, nec pondus. Quamdiu enim in pondere & mensura & numero universa corporis & animæ bona recipio? Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus? ego autem hic fame pereor. Nam de corporali cibo ad Adam dictum est, & pervenit usque ad me: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* &c. Sed & cum laboravero, panis datur mihi in pondere, potius in mensura, pulmenta in numero, Et de corporali quidem sic. Quid verò de spirituali? Utique antequam comedam, suspiro: atque utinam cum spiravero & flevero, vel fragmentum exiguum merear de cœlesti convivio, & tanquam catellus edam de micis, quæ cadunt de mensa dominorum meorum. O Jerusalem civitas regis magni, qui te ex adipe frumenti satiat, & quam fluminis impetus lætificat, in te nec pondus utique nec mensura, sed satietas & affluentia summa. Sed nec habes numerum: quippe cuius participatio eius in idipsum. Ego verò qui totus sum in vicissitudine & numero, quando veniam ad unam illam quam requiro? Quando satiabor apparente gloria tua Domine? Quando inebriabor ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ quando potabis me? Nunc enim tam exigua sunt stillicidia stillantia super terram, ut nec glutire quidem possim salivam meam.

Sic omnino, sic verum est Fratres, quoniam modò omnia dantur in pondere & mensura & numero: sed venit dies quando omnia sunt cessatura. Nam de numero quidem legimus ^b: *Quoniam sapientia illius non est numerus*. Et alio in loco apud eundem Prophetam ⁱ: *Delectationes in dextera tua usque in finem*. Audi etiam apud Apostolum pondus sine pondere, *Supra modum*, inquit ^k, *in sublimitate æternum pondus gloriæ*. Audi ^k 2. Cor. 4. d pondus æternum: sed attende quia præmiserit, supra modum. Sic & Christum audio, mensuram sine mensura promittentem. *Mensuram*, inquit ^l, *confertam & coagitatam, & supereffluentem*. Sed quando venient ista? ^l Luc. 6. f Profectò in fine præsentis Septuagesimæ, quod est tempus captivitatis nostræ. Sic enim legimus ^m, quod captivitati à Babiloniis filii Israel terminum acceperunt annorum septuaginta: quibus transactis redierunt in sua, cum instauratum est templum, & civitas reædificata. At verò captivitas nostra, fratres, quando finietur, quæ tot annis ab initio utiq; mundi protenditur? Quando liberabimur à servitute ista? Quando restaurabitur Hierusalem civitas sancta? Utique completa hac Septuagesima, quæ ex

^g Gen. 3. d
*In vita præ-
senti omnia
parcè dantur,
in altera co-
piosè sine men-
sura.*

^b Psal. 146. a
ⁱ Psal. 15. d

^k 2. Cor. 4. d

^l Luc. 6. f

^m Jer. 25. & 29
*Vita nostra ve-
lut Septuages-
sima captivita-
tis.*

denario & septenario constat, propter decem mandata quæ accepimus: & septem impedimenta quibus à mandatorum obedientia retardamur.

Septem impedimenta mandatorum Dei executionem retardantia. *Primum* enim impedimentum nostrum & occupatio gravis, est ipsa necessitas huius miseri corporis, quòd dum modò somnum, modò cibum, modò vestem, cæteraque similia quærit, haud dubium, quin frequenter impediatur nos ab exercitio spirituali. *Secundo* loco impediunt nos vitia cordis, ut est levitas, suspicio, impatientiæ aut invidiæ motus, laudis appetitus, & similia, quæ quotidie experimur in nobis. *Tertium* & *quartum* impedimentum accipe prosperitatem huius sæculi & adversitatem. Sicut enim corpus quod corrumpitur, aggravat animam, sic deprimit etiam terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Utrunque ergo cave à laqueo tentationis, & quære arma iustitiæ à dextris & à sinistris. *Quintum* impedimentum gravissimum & periculosissimum ignorantia nostra est. In multis enim omnino incertum habemus quid agere debeamus: ita ut quid oremus sicut oportet, nesciamus. *Sextum* impedimentum est adversarius noster, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Atque utinam in istis sex tribulationibus liberemur, ut vel in *septima* non tangeret nos malum, nec apprehenderet nos periculum in falsis fratribus. Utinam soli impugnarent nos maligni spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines perniciosi exemplis, persuasionibus importunis, sermionibus adulationis vel detractionis, atque aliis mille modis. Videtis certè quàm necessarium sit ut adversus hæc septem pericula quibus impedimur, septiformis Spiritus sancti auxilio sublevemur. Pro his enim septem quibus ab observantia decalogi retardamur in luctu pœnitentiæ Septuagesima præsens agitur. Unde & reticetur intonim Alleluja solemne, & humanæ transgressionis historia miserabilis ab exordio recensetur.

IN SEPTUAGESIMA.

De eo quod scriptum est, *Immisit Dominus soporem in Adam.*

S E R M O II.

a Gen. 2. d Duplex sopor, primi Adam & secundi.* **I**mmisit Dominus soporem in Adam. Immisit & in seipsum factus nimirum secundus Adam: sed est distantia forte non parva. Ille enim soporatus videtur præ excessu contemplationis, Christus miserationis affectu: ut in illum soporem immiserit veritas, in hunc charitas, cum utraque sit Dominus. Ait enim Joannes Evangelista *b*: *Deus charitas est, Et ipse Dominus c: Ego sum via, veritas & vita*: Sanè soporem Christi solius charitatis fuisse nemo dubitat vel nomine tenus Christianus. Siquidem

dem accubuit ut leo, non victus planè, sed victor, potestate propria ponens animam, somnum mortis excipiens propria voluntate. Ceterum qualis & ille sopor dicendus sit fuisse, vel credendus, quem Dominus immisit in Adam, in quo sine sensu omnino doloris in mulierem edificandam costa sublata est de latere dormientis? Mihi quidem non nisi incommutabilis veritatis intuitu, & abyssò divinæ sapientiæ corporeis excedens sensibus obdormisse videtur: quod ex eius verbis vel maxime conjici potest. Rediens nimirum indicat quò abiisset, dum tanquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans illud magnum sacramentum quod tanto post in Christo & in Ecclesia Apostolus commendavit, *Hoc nunc* (inquit) *os ex ossibus meis*^d. Et propter hoc, inquit^e, *relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* An tibi penitus obdormisse videtur, qui in hanc vocem excitatus erupit, & non magis dicere potuisse^f: *Ego dormio, & cor meum vigilat?*

Verum id quidem sine præiudicio dixerim, si forte aliter visum fuerit, maxime si quid aliud in Sanctorum paginis invenitur. Neque enim communem arbitror fuisse soporem, aut nostris similem somnis, quos nec contemplationis excessus, nec miserationis affectus, sed infirmitatis defectus immitit; quos nec veritas nec charitas, sed necessitas parit. *Grave* siquidem *jugum super filios Adam*: non autem in principio super Adam: sed nunc jam super filios eius. Quid non grave miseris, quibus & vivere labor est? Quibus & (quod pauci videntur advertere, sentire penitus nemo) ipse quoque sensualitatis usus invenitur oneri, adeo, ut nequeat sustineri nisi alterna requie foveamur? Quid non labor & dolor & afflictio spiritus ex omnibus quæ sub sole sunt, quando & illud ei gravissimum est, quo potissimum delectatur, vegetatio scilicet & sensificatio carnis? Nimirum quàm sit ei dulce consortium, triste divortium manifestat; dum vix tandem avelli potest, dum corruptio ipsa corporis penitus intolerabilis est vegetanti. Sanè non simpliciter corpus, sed *corpus quod corrumpitur, aggravat animam*^g, ut immunem ab hoc gravamine primi parentis animam noveris extitisse, donec adhuc corpus degeret incorruptum. Nimirum in libertate posuit eum Deus, ut inter summa & infima versans, & in illa excederet sine difficultate, & ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet: Illa penetrans naturali vivacitate & puritate mentis, hæc auctoritate dijudicans præsentis. Denique adducta sunt animalia ad Adam ut videret quid vocaret ea; non ipse aliqua curiositate ductus est ut videret ea.

Non sic in nobis libera ratio, sed undique ei luctandum est. Sic enim & ab infimis visco quodam captiva tenetur, & à summis indigna repellitur;

Raptus Adami extaticus.

*d Gen. 2.d
e Ephes. 5.g*

f Cant. 5.b

Sopor eius non fuit communis aut nostro similis.

*g Eccl. 40.a**

g Sap. 9. d

Status Adami ante peccatum.

Hominis post lapsū miseria.

tur : ut nec ab his sine dolore possit avelli , nec ad illa sine magno gemitu vel raro queat admitti. Hinc nempe vim faciunt qui quærunt animam meam , ut clamare necesse sit : *Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis huius* ^b ? Inde priusquam comedam suspiro , *quia regnum cœlorum vim patitur , & violenti rapiunt illud* ⁱ. Nihilominus tamen & illic unitas , & hic tenenda divisio est : sicut & Adam soporatus est in contemplatione , & animalia nominum impositione discrevit. Sic nimirum sic & Abraham in sacrificio non quidem volatilia , sed animalia legitur divisisse ^k. Et Martha erga multa turbatur ^l , cum unum sit necessarium. Necessarium planè unum , & maxime necessarium , quoniam hæc pars optima , quæ non auferetur. Cessabit divisio cum venerit plenitudo , & erit totius sanctæ civitatis Hierusalem participatio in id ipsum. Interim Spiritus sapientiæ non modò unicus , sed & multiplex est : inferiora quidem in unitatem solidans , sed sub iudicio exteriora distinguens. Utrumque tibi in primitiva Ecclesia commendatur ^m , *quando multitudinis credentium erat cor unum , & anima una* , ne volatilia scinderentur : *dividebatur autem singulis prout cuique opus erat* , ut animalia secarentur. Sit igitur etiam in nobis , charissimi , unitas animorum , unita sint corda diligendo unum , quærendo unum , adhærando uni , & ipsum invicem sentiendo. Sic nimirum exterior ipsa divisio & evadit periculum , & scandalum non incurrit , dum videlicet etsi propria cuique tolerantia , propria quoque nonnunquam in terrenis agendis sententia , sed & diversa interdum dona gratiarum , nec membra omnia actum eundem videntur habere : unitas tamen interior & unanimitas ipsam quoque multipliciter colligat & constringit charitatis glutino , & vinculo pacis,

IN CAPITE JEIUNII.

Quid ungeri caput , & faciem lavare ?

SERMO I.

Tu , cum jeunaveris , unge caput tuum , & faciem tuam lava ,
Matth. 6. c.

Hodie dilectissimi sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur , tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc observatio ; una omnium est , quicumque in eandem fidei conveniunt unitatem. Quidni commune sit Christi jeiunium omnibus Christianis ? Quidni caput suum membra sequantur ? Si bona suscepimus ab hoc capite , mala autem quare non sustineamus ? An respuere tristitia volumus , & communicare jucundis ? Si ita est , indignos nos capitis huius participatione probamus.

*Fide quid
sentiendum*